


PARADISI TERRESTRIS DISPVTATIO

Ad Sapientiſsimum, Reuerendiſsimumq;
PATREM MAGISTRVM
GREGORIVM CANALIVM
Generalem Carmelitarum Antiſtitem.


AVCTORE
P. MAGISTRO ELISEO RVSCONO S.T.D.
Carmelita Aſtenſi.








PISIS, Apud Leonardum Zeffium. 1625.
SVPERIORVM PERMISSV.





D alta Paradisi contemplanda nos vocat Aquila vestri Stemmatis;(Reuerendissime Pater.) suoq; conspectu Imperij Nuncia, volucrum hæc Regina Beatissimæ Regionis, ac Diuinæ (eius dignæ prorsus incolatu, qui Opificis gestaret imaginem Sacrosancti) celsitatem, felicitatemq; præmonstrat. Horti conclusi portas, & magno Fonte fœcundi Leo pandit, quò liceat situ præcelsæ, ex orientium splendore syderum illustratæ perpetuò: deliciarum quà corporis, quà animi refertissimæ, pulcherrimæ, amoenissimæ Regionis intueri Beatitatem. Sinuosi tandem flexus oberrantes Aquarum, non solùm perennibus irrigua riuulis arua felicia ostentant: Verùm Leoninæ sub Claui labentes, Reserationem repræsentant Cataractarum cœli, vniuersalem & Cataclismum ante oculos ponunt, Omnem Terrarum Orbem (si vnum exceperis Paradisum) vel celsissimos terræ montes obruentem.

Age iam ex Beati Moseos verbis Ratiocinationum nostrarum sumamus initia; hauriamus (Summe Carmeli Pater) nostris auribus, quæ de Terrestri Paradiso admiranti sermone Magnus ille Vates eructat:

Plantauerat, inquit, Deus Paradisum volnptatis à principio. Genes. cap. 2. num. 8. A.

Altiloquus hic Moses diuina radiati capitis maiestate dignatus (cui apparuit Deus, arcana aperuit) cœlestis ingenij pennis subnixus, volatuq; sublimi, cuncta in, quæ patrarat opera Deus, intendit faciem, fulminans vt è machina tonuit: Doctrinam nullis antea mortalium calamis exaratam ab alto detulit, transmisit in litteras aiens:

In principio creauit Deus cœlū & terram. Plantauerat autem Deus Paradisum volupt. à principio.

Præsentem animo intueri Mosem, sic differentem audire videor


 eo loci:

eo loci: Altissimus super omnia Deus, imperio creans, creata temperans Imperator, meritò suspiciendus, à quo & sublimia Cœlorum, & fulgentia Siderum, & luminosa Solis, & Lunæ splendentia, & lucida Ætheris, & Ignis torrida, & humida Aëris, & Marium spatiosa, & imperuia Abyssuum, & ima Terrarum fundamenta substiterunt. Dei spectator esto, qui & hiatuum profunda, qui antrorum caua, qui scatentia fontium, qui tortuosa fluminum, qui portuosa littorum, qui herbosa riparum, pratorum qui florea, aruorum pinguia, camporum fertilia, seminauit in Orbe læta segetum. Circumspice, discurre Homo per opaca syluarum, vmbrosa nemorum, frondosa ramorum, odora florũ, sapida fructuum, amœna vallium, aprica collium, ardua Montium, Sphærarum irrequieta mobilium, Empyrei æternùm quiescentis & Immobilem Regionem perpende; Quis hæc fecit?

In principio fecit Deus Cœlum, & Terram. Plantauerat, & Deus Paradisum volupt. à principio.

Quæritur quàm altè conditus, aut vbi terrarum Paradisus?

Magnus Basil. hexęmer. hom. xi. D. Aug. lib. 2. de Genes. cõtr. Manic. c. 9 Isydorus li. 4. etymolog. cap. 3. D Tho. 1. p. quæst. 102. artic. 1. D. Ioan. Damas. lib. 2. fidei orthod. cap. 11.



MNI terra excelsior est, ad Orientalem plagam, plantatus in Eden. Sic & veracium Doctorum consentit auctoritas, & D. Ioan. Damascenus (cuius verba referam digna Cedro) clarissimè omnium contestatur.

Quia Deus ex visibili creatura plasmaturus erat hominem ad suam imaginem, & similitudinem, tanquam quendam Regem & Principem vniuersæ terræ, & eorum quę in ea sunt; pręstruxit ei quandam veluti Regiam, in qua diuersans Beatam, & ex omni parte felicem duceret vitam; Et ipse est Diuinus Paradisus Dei manibus in Eden plantatus: Lętitiæ & voluptatis omnis promptuarium (Eden enim voluptas interpretatur) in Oriente vero omni terra excelsior collocatus est), optima temperie, & aere subtilissimo, atque purissimo splendidus; Plantis semper virentibus insignis, odoris suauitate refertus, plenusq. lumine, vniuersæ sensibilis venustatis, & pulchritudinis superexcellens intelligentiam. Diuinus profectò locus, ac dignus eius, qui ad imaginem Dei creatus fuerat, incolatu.

Damascenorum hic finis verborum.

Nec sanè Venerabilis Bedæ, Abdiæ Babylonij, Magistri historiæ scho-

scholastica Opinio habenda neglectui; tantam esse Paradisi altitudinem opinantium, vt summo vertice cælum, orbemq; Lunæ suo fastigio attingat. Hyperbolicè dicta putes, ac per exaggerationẽ quandam. Non enim fuit Beda nescius ob syderũ contiguitatem, ob Solis vicinium, ob ætheris deflagrationem, ob sublunarium ardores ignium, ob aëris continenter circumacti vertigines, obq; sexcentas sursum quæ dominantur noxiæ qualitates, fore tunc inhabitabilem Paradisum. Quorsum ista? Ergo per similitudinem atque amplificationis gratia dicta sunto (inquit Angelicus) Quòd nimirum felix illa Paradisi Regio excelsa feratur, atque amœnitate, salubritate, tranquillitate, cælesti Regioni, quę incipit à Luna, sit persimilis. Etenim à confinio luminosi Cæli, ad aquarum fluida, ad Paradisiaca penetralia Terrę extensus peruenit Aer ille, qui neque commotus ventos, nec concussus procellas, neq; Epidemiam corruptus, nec nubila contractus, neque addensatus pluuiam, nec niuem spumosus, neque glaciatus grandinem, nõ turbulentus turbines ciet, neque succensus fulmina iaculatur; sed tranquillissimus, æterna temperie expansus, blandientibus fauoniorum flabellis ventilatur; felix Paradisi plaga clementioribus cæli radijs exornatur Cherubica circumuestiente manu. Beda in 2. cap. Genes. Abdias Babylon. lib. 7. certaminis Apostolici. Magister historiæ scholast. lib. 1. in Genes. c. 13. D. Tho. 1. p. quæst. 102. & alibi.

Veniat Basilius, veniat Cyprianus: Vterque nobis reseret Horti portas. Quid vltra differo?

Deus sua condidit manu peramœnam, ac delicijs omnifariam diffluentem mansionem, locum vtique omnem exuperantem creaturam, visenda pulchritudine suspiciendam & admirabilem. Locum dico præillustrem, & spectatu dignissimum, & qui ob situs celsitudinem nulla sui parte vllas admittit tenebras, nulla tenebrescit caligine, quippe quem exorientium syderum splendor irradiat, & vndique suo lumine circumfundit. Retinet hic peramœnam ac iucundissimam Veris temperiem, lucidissimo collustratus, & splendifluo aere, &c. D. Basil. hexam. hom. 11.

Post magnum Basilium ecce nobis mellitissimus Doctor Cyprianus.

Nunquam, inquit, excidit Dei locus, vbi iacet gratia, vbi virentibus campis terra luxurians alumno se induit gramine, & redolente pascitur flore. Vbi altum nemora tolluntur in verticem: & vbi arbor densiore coma vestit, quidquid curuantibus ramis scena deiacens inumbrarit. Omnia illic non frigoris, nec ardoris: nec vt in autumno arua requiescant, aut vt iterum Vere nouo tellus fecũda parturiat; Vnius cuncta sunt temporis: Vnius Poma feruntur æstatis. Quippe cùm nec mensibus suis tunc Luna deseruiat, nec per horarum Sol momenta decurrat, aut in noctem lux fugata concedat. Habet populos quies læta, sedes tenet placida, vbi fons scaturiens medius sinu aluei prorumpentis D. Cyprianus de laude martyrij circa finem.

pentis emergit,& rauco per interualla circuitu sinuosis flexibus labitur,vt in ora nascentium sibi fluminum diuidatur.


O Gemmea Cypriani dicta; ô & Oraculum cęlesti mente prolatum; ô liliata (& hęc exosculor) tanti verba Doctoris.

Ad Viridaria illa perennium riuulorum męandris irrigata, nūc ipso Disputationis ordine inuitamur; ad illam igitur Oculorum Panegyrim ostendendam Calamus conuertatur. Nam Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum Paradisum.

Genes. c. 2. nu.10.B.

Quacunque Cœli conuexitas vergat, pulcherrimus omnium & amœnissimus Paradisi locus; Hortus,inquam, eximio fonte irrigatur: qui primùm Aquulis Vitro pellucidioribus saliens, leui dein murmure præterlabitur; & quicquid alluit, floribus vestit. Pallentes ibi Violæ spectantur,candida Lilia, purpurascentes Rosæ, ridentia florum labella; depicta rura visuntur, nunc radianti virore, nunc fulgenti purpura, nunc croco succenso, nunc rutilanti auro, nunc luteis, nunc rubris, nunc niueis, nunc aureis condecorata floribus, in quibus vix dignoscas Vtrum species amplius florū, an vis odora delectet. Vtinam & nobis cum Helia Duce Viridaria inter Beata floreis, aqueis, gemmeisque honoribus coronata liceat ibi oculos amœnare. Libet saltem mentis indagatione perquirere.

Sitne vnicus ille Fons, & Fluuius vnus?



MPLA Paradisi Regio est (vt nonnulli Recentiorum Doctissimi autumant) magnitudinemque Vnius Regni nec parui possidet. Huius Terra non sanè tota in planitiem extspatians, sed & vallibus caua, & elata tumoribus,& in montes excitata,aut saltem in apricos Colles molliter eleuata consurgit. Nunquidnam vnus iste ac solus, cunctos terræ tumores, aut montium vertices,aut Collium saltus transiliat?

Clauiger Cœli Summus Pontifex q. Martinus Michaeli scribens Imperatori, ad huius rei intelligentiam reserat fores, præpandit lumina, docens; singulare pro plurali sumendum in hunc sensum: Fontes *ascendebant è terra, & è Paradiso egrediebantur vniuersam illius superficiem irrigantes. Præterea, Fons simul & Fluuius dicitur vnus, ratione conuexionis, quam in terræ visceribus*

habent

habent omnes Aquæ: licet reuera sint plures. Adhæc, vnus haud ineptè vocetur qui in anfractus, ac sinus, varios & in Canales diuidatur; quiuè multiplici deriuetur alueo, & per inferna ac superna terrarum Deo moliente diffusus, Vniuersa irrigando fæcundet Viridaria Paradisi. Hæccine pluribus probari possent, si quid ad ędificationem cordis proficere viderentur; sed quia prolixius occupari, infructuosum negocium est: ad vnum magis fontem (Antistes deuotissime) intendamus animum, atque ad Fluuium illum, in quo vitæ sit saltus, & profectus ęternę.

Fluuius iste est Dominus meus Iesus, qui de duobus locis voluptatis egreditur, ex vtero Patris, & ex vtero Virginis. Egreditur ergo Identitate de vtero Patris, quia idem est cum Patre. Idem dico secundum substantiam, non Personam. Egreditur, & Aequalitate, quia Patris omnipotentiam recipit, cùm omnia quæ possit Pater, possit hæc & Filius. Egreditur, & Aeternitate, quia licèt generetur, non tamen est posterior Generante, sed ambo vnius antiquitatis. Egreditur Similitudine, quia similis est Patri, Patris Imago, splendor gloriæ, & figura substātię eius. Egreditur Alteritate, quia alius est ab illo, Alius dico, nō Aliud; Ego, inquit, & Pater vnum sumus. Vnum, non Vnus; quia Vnum significat substantiæ vnitatem; Vnus verò Personarum proprietatem. Sic igitur & longè excellentiori modo de Patre Filius Egrediens, inundat Angelicas stationes. Egreditur & de Vtero Matris, non enim est locus voluptatis, nisi vterus Virginis. Ex hoc Egreditur Humanitate, quia vestitus Cilicio nostrę mortalitatis, visibilis humanis oculis apparuit. Egreditur & cum Nouitate, quia nunquam sic natus est Homo. Solus iste de sola Virgine nascitur. & Virginis vterum nouo & singulari partu Diuinitas Humanata sigillat. Egreditur etiam cum Claritate: nascente quippe illo sepelitur omnis illa stellantium luminum luminosa serenitas; & stella candidior lucidioribus radijs præscintillans, totam sibi cœli rapit portionem. Ambulant Reges in splendore ortus sui. Egreditur & cum Paupertate, quia in pannis vilissimis reclinatus, iam ex tunc sanctissimis mēbris legem martyrij pręfigebat. Egreditur Occultè, quia subtilissimus ille fraudium Inuestigator, tantæ ab altitudine dignationis excluditur. Sequitur ad irrigandam superficiem terræ; idest ad terrenam miseriam expiandam, quam nobis in hæreditatem Primus ille Peccator reliquerat. Christus ergo factus est nobis Sapiētia, ab ignorantiæ tenebris liberando. Iustitia, funes peccatorum soluendo. Sanctificans nos in suo corpore. Redimens in Corporis Passione. Dominus eleuatus in Cruce largissimas sanguinis vndas à quatuor partibus sui corporis abundantius effudit.

Hæc ferè ad verbum protuli ex Diu. Bernardo, aut si mauis è B. Petro Damiano; Cuiuscunque dicatur: flumen magnæ mentis est hic sermo.

D. Bernardus serm. 2. de Natiuitate Domini. Et si magis videat. dicen.

Altum nobis Pelagus incedendum est volentibus de Diluuij

Causis

causis disputare, in quo Cœlum & Terra pariter commota leguntur: & influentes aquarum moles conclusum genus hominum, ac omnium animatum extinxere. Cegit nos Leonis *vestri gestamen, ostentata* Clauis, *& sublabentium aquarum* Canales *de Diluuio aliquid edisserere; Namque apud omnes vno iam consensu receptũ, vt Canales, Tubiq; & Siphones per terebrata foramina in Leonina capita immittant aquas, quæ inde ex eorum rictibus euomantur. Ecqua istiusmodi consuetudinis ratio? An quia, cùm Sol Herculei terga Leonis adit, Nili Diluuium excitat? An quòd Leonis conspectus Aquarum demenstret incrementa? Sapientissimi annuerunt: quis hęc abnuat? Mitto nunc magni, generosi animi simulacrum vestris prgseferre insignibus Leonem, cuius in arce pectoris Virtus ipsa Clementiæ collocatur. Nihil dicam de præconijs vestris (Paradisiaci Carmeli Præsul Clementissime) veritus ne sibimet imperanti modestissimo ingenio vestro sim molestus. Igitur ad mentem aduocemus Leonem Diuinissimum, athorrendnm, cuius fremitu contremescunt cœli Cardines, & Inferni Portæ; quo rugiẽte immania Phocarum Corpora maris obruta fluctibus pertimescunt; quo mugiente remugiunt Tonitruum fragores, volitant procellæ; ruunt fulmina, depluunt grandines, hiant cataractæ, pandit fauces nubium Oceanus, & frementi Diluuio terras obruit.*

Pierius hieroglyph. de Leone lib. 1. titulo Inundat. fol. 10.

Nunc ad rem.

De causis Diluuij inter Doctores non parua Requisitio versatur; Quamquam nos duas esse fateamur: Cœlum, & Terram. Terram, inquam, quia ruptæ fontium Abyssi magnæ; quia terrenæ moles resoluta est magna ex parte in aquam; quia flumina plus nimio aucta redundarunt; quia supra modum intumuere maria, & suis excitata sedibus procurrerunt. Cœlum etiam causam dixerim, è quo continuati imbres, nec interdiu nec noctu per dies quadragenos intermissi; Orbem stagnauere terrarum. Verùm maxima causarum dicatur, Omnipotentis Dei voluntas.

Ex Seneca lib. 3. naturali quæstionum.

Ecce ego adducam aquas Diluuij super terram. Ego pluam super terram 40. diebus, & 40. noctibus; & delebo omnem substantiam, quam feci de superficie terrę.

Genes. c. 6. & c. 7.

Hac admota & reserante Claui, sequitur mosaicum illud.

Rupti sunt omnes fontes abyssi magnę, & Cataractę Cęli apertæ sunt.

Genes. c. 7. nu. 12. B.

Sed penè prætexteram, quod vel prgcipuum est.

Ec-

Ecquodnam id Cœlum creditur, cuius Cataractę apertæ sunt? Cœlumnè stellatum, sydereum? an instellatum & aëreum!



XIMIVS planè Doctor, omni & studiorum genere Insignis Pater Benedictus Pererius, opinatur Mosem propriè non esse loquutum de Sidereo. Idemque duobus hinc petitis iaculis Aduersarios lacessit, ac impugnat.

Etenim, inquit, vt Aquæ illæ defluerent in terram, necesse fuisset Octo cœlos· ideſt Septem Planetarum, & Octauum inerrantium siderum, super quod isti credunt Aquas illas esse locatas, disrumpi, vt illis Aquis descensus in terram pateret: & rursus eosdem omnes cœlos occludi & redintegrari, quod valde alienum est incorruptibili naturæ cœli. Deinde aut tota illa aqua defluxisset in terras, quare locus cœlestis, quem antea implebat, totus remansisset vacuus; Aut pars tantum illius aquæ defluxisset; reliqua igitur aquâ, quæ remansisset, frustra & superuacanea fuisset, cùm nullo tempore amplius futurum sit Diluuium, sicut Deus promisit.

Hæc Pererius.

Perer. in Genes. lib 12. disput. 5. nu. 25.

DICO tamen Mosem hic propriè locutū de Sidereo. Antequam probem hoc, nolim ignorare Lectorem veras Aquas, & Elementa res supra Firmamenti terga ligari. Adducam lympidissimos Ecclesiæ fontes, è quibus supercælestium hauriatur aquarum cognitio, ac plenis crateribus bibatur. Hi sunt Iustinus Martyr, Magnus Basilius, Diui Ambrosius & Augustinus cum Venerabili Beda. Si vrgeat Interrogator: Aquam per se labilem nequire supra cęli dorsum consistere sed fluxuram fore necessariò deorsum; Respondet Basilius super conuexa, quæ rotunda nō est, superficie cæli residere. Augustinus non iam illic vaporali tenuitate, sed glaciali fermè, docet soliditate pendere. Alij de terris ad hæc probanda mutuantur ex. [illegible]; quia sicut Situla aquæ plena circa caput forti brachio regyrata, non permittit aquam vllo modo descendere ob motus velocitatem: Ita & cœlorū vertigo citissimaq. rotatio, aquarum supercælestium obstat descensui. Nonnulli cælestium ardori syderum, & sidereo calori adscribunt suspensionem aquarum. Nec desunt, qui ventis per flantibus, & quasi subsidentibus ventorum

Ex Bachone quodlib qu. 11. art. 1. & 3 Iustinus martyr responsione ad 93. quæst. orthodoxorum. Diu. Basil. hom. 3. super Genesim. D. Ambros. lib. 2. in hexæmer. c. 2. D. Aug li. 11 de Ciuitat. Dei c. vlt. August. de Genesi ad literar. lib. 2. c. 5. in fine.

Beda in lib. de Nat. rer. & in hexameron.

humeris aquas opinetur sustineri. Clariùs & veriùs Beda Diuinæ id potentiæ dat, nubium exemplo: Non enim minùs facile est, inquit, omnipotenti Deo tenere aquas super Cœlum sidereum, siue liquidas, siue modo chrystalli conglaciatas, atque concretas, quàm (quod facit quotidiè) tenere aquas in sublimi aere suspensas, vnde tantus fit imbrium defluxus: quod loco miraculi prædicat Iob de Deo:

Iob, cap. 26.

Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.

Ipse enim est, qui vndas rubri maris atque Iordanis in sublime erectas, & murorum similitudine firmatas fecit consistere.

Dubitatio.

Noui nunc scopuli assurgunt; nouæ suboriuntur hic difficultates. Dicat etenim Aliquis cum Pererio Patre. Aquæ supercelestes, sunt naturaliter ibi, an miraculosè libratæ? Qualesnè? Elementares? Si tales, quidni solaribus à radijs corrumpantur?

Nemo Texitorum putarit (sic benè Pererius) in naturalibus ad miracula recurrendum. Quamobrem cõsultius dixerit Aquas naturaliter cœlo librari: cùm & naturalis aquarũ locus (& quidem incorruptibilium) reperiatur in cœlis: De quarum Incorruptibilitate iuuat Patrem audire Becanum:

Pater Martinus Becanus de operibus sex dierum. c.3. de firmamento, nu. 9. fol. 564.

Aquæ illæ supercœlestes sunt quidem corruptibiles: sed tamen actu non corrumpuntur: Vel propter qualitatem loci conseruantem; vel propter summam resistentiam; vel propter qualitatem aliquam ipsis impressam, qualem etiam habent corpora gloriosa & damnatorum; vel denique quia Deus denegat suum concursum, ad omnem alterationem, quà corrumpi possent.

Vnde igitur Probamus, Cœlum verè sydereum, cuius fenestræ & Cataractæ ad aquas effundendas sint apertæ?

Oleaster in c.7. Genes.

Quia non aliter possumus (ait Oleaster) quàm vt littera habet, intelligere. Quare taxandi sunt, qui potiùs volunt Sacram scripturam Phylosophiæ legibus subdere, quàm (vt magis decet) Phylosophiam tanquam ancillam illi deseruire. Et sicut Moseos hystorica, sic & vera loquutio dicatur oportet, non metaphorica aut figurata. Eccum igitur Diu. Augustinum longè ante Oleastrum optimè sancientem.

Diu. Aug. de Genes. ad litteram lib. 2. cap. 5. in fine

Quoquomodo autem & qualeslibet aquæ ibi sint: esse eas ibi minimè dubitemus; (De Cataractis ne secus iudices) Maior est quippe scripturæ huius authoritas, quàm omnis humani ingenij capacitas.

Prodeat alter nostri sæculi Scriptor Augustinus Eugubinus, & modum Reserationis aperiat.

Verifi-

Verisimile est, ait, Diluuij tempore cœlum multis locis patuisse, aquarumque vasta flumina inde maximo fragore delapsa esse. Inter Aquas enim positum esse Firmamentum, traditur in Sacris litteris; in quibus etiam supercęlestes aquę celebrantur; Cùm igitur etiam supra cęlum sint Aquæ, quæ à nonnullis Cœlum Crystallinum vocantur, has credendum est patefacto cœlo horribiliter erupisse, breuique totum orbem inundasse; nam his quoq; aquis erat opus ad efficiendum generale Diluuium. Alioqui si imbribus tantum res acta esset, non modò quadraginta dierum, & noctium pluuia, sed nec quadraginta quidem annorum tanto Diluuio efficiendo satis fuisset.

August. Eugubinus Annotation. in Genesim apud Perer. lib. 12. n. 13.

Hæc Augubinus.

Ego me plurimum deferre, & debere fateor Pererio Patri; at multo plura Patribus et Propheticæ veritati; cui obuiare nequeũt argumenta Pererij. Primum repello sic: Incorruptibilitatem naturæ cœli à Pererio supponi, cui tamen inclytæ sacrorũ Virorum Classis & sapientum opponitur. Non multi cœlorum disrumpũtur (quia Cœlũ mobile Vnum esse clamamus). Vnicum disrumpatur oportet. Sed esto. Etsi ergo cuncti Cœlorum mobilium aperiantur: non id fatemur incongruum; quia & Canales (Doctore Hurtado) dantur in cęlis, per quos oberrent sidera; Quemadmodum stellarum lapsus miri visuntur sub Auroram (Cometæ dicũtur:) qui vagi lumen syderis imitantes, longo velut Canali luminoso, ac lineali tractu præterfluendo labuntur. Vel cœli disrumpuntur, non quà solidi, sed quà fluidi sunt (quod & fusè probabitur cùm de Cœlo, Deo Dante, dicemus) cum qua fluiditate, occlusio & redintegratio cœlorum facilè congruit.

Ad argum. Pererij.

Pater Hurtadus de Mendoza de Cœlo disp. 2. §. 1 nu. 9. & seq.

Ad secundum: Non tota defluxit, sed Pars; Quota sit, ignoratur. Ingens creditur aquæ portio descendisse. Nec datur in Cœlo Vacuum, quia remanentium rarificatione Aquarũ cœli loca replentur. (quanquam aliquam vacui partem nunc in sublunaribus: tunc in subterraneis & supercœlestibus dari, non improbabiliter fatemur.) Reliqua autem Aqua, quæ remansit, non Diluuij causa seruatur, sed ob alias.

Si verò cuiuspiam animus vagari velut per cœlestia volens, curiosiùs rogare non desistat: Curnam super cœlum collocentur Aquæ? Respondet ex Theodoreto Procopius: ne cœlestis substantia ex aquis conglaciata, sidereis aut solaribus radijs dissoluatur. Basilius, & Beda volunt temperare calorem, quem cœlorum motus celeri rotatione producit. Procopius ad reuerberandos solis radios, & ad terram detorquendos existimat. Iustinus ad perurgendum

Theodoret. & Procopius

Basilius, & Beda.

Procopius.

Iustinus.

gendum


gendum, ac premendum Firmamenti corpus ne ad Empyreum euolet. Pater D on Redemptus Baranzana, ad Beatorum oculos mirè oblectandos:

Pater Don Redemptus Baranzana Non. opin. Physic. digladiatione 18. Theoremate 13. fol. 147.


Crystallinus humor, inquit, Empyrei luce circundatus, pulcherrimas producit Imagines, quibus sanctorum oculi pascuntur.


Ego circulos dicam, Aquas supra firmamentum, & intra cælorum penetralia diuinitus collocatas; vel ad Soles, Lunas, Stellas, quæ in Christi natiuitate fulserunt, efformandas; vel ad inane replendum; vel ad varietatis decora; vel venustatem cælorum; vel vt Canales obstruant; aut ignibus obstent; aut flammas temperent, & coerceant solis radios; & reparent aquas sublunares; aut si ob alia, quis enumeret omnia?

Pauca hæc de plurimis delibasse sufficiat aliò properanti.




AQVI





QVILA grandis magnarum alarum, volucribus subnixa pennis, cœlorum vicina conscendit. Eademque toto illo plumarum instructa remigio, ad ipsum (vt ita dixerim) ætheris fastigium sublimata, paululum cunctabundo Volatu pendula circumspectans: nescio quid humana voce grandius locuta de cœlo, intonuit.

Paradisus, en permanet; nequaquam perijt Aquis.



ERIVCVNDA Durantis etiamnum Paradisi, at difficilis Disputatio inter Principes Theologos discrepantibus sententijs agitatur. Negantis, Recentiorum Plurimi. Aientis autem Sententię, Victrix vna, & Inuictarum rationum perstat sacra Phalanx. Negant Augustinus Eugubinus, Iansenius, Oleaster, & præsertim Pater ille omnibus maximarum artium disciplinis politissimus Pererius qui certè contra Assertores non vno ariete molitur.

Primò, quoniam Terrarum Orbis luctuosissima facies tota protrita fuit aquarum molibus; quarum altitudo tanta (Mose clamante) fertur vt omnes omninò celsissimos terræ montes quindecim cubitis transilierint. Cumq; Paradisus in hac nostra Terra fuerit; Ergo & illa generali Orbis Eluuione dissipatus: quia & vniuersalis est locutio Mosis.

Genes. cap. 2 nu. 10. B.

Secundò; quia si immanis, horrenda, vniuersalis exundatio Paradisum non attigit: frustra duorum spectator Aeuorum Patriarcha tam ingenti labore, tantaque annorum serie Arcam toto Orbe per celebrem, architectatus esset. Poterat enim cum Vxore, & Prole, & animantibus in Paradiso seruari.

Tertiò: Paradisi in Orientali plaga constitutio, Duorum præcipua fluminum indagatione deprehenditur, Tygris & Euphratis, (vt ostendit Moses;) At horum fontes visuntur in Armenia: cursus in Mesopotamia, & Assyria: exitus verò in sinum Persicum à Cosmographis designatur. Nusquam ibi gentium, nusquam terrarum Paradisus apparet. Restat vt perijsse dicatur.

Iustinus martyr respons. ad qq. orthodoxor. q. 75. D. Aug. lib. 19. de Genesi ad litteræ c. 6. & alibi. D. Ambr. in cap. 4. Epist. ad Roman. Diu. Hieron. Magnus Gregor. & alij apud Bellarmin. & Peter. D. Tho. 1. p. q. 102. art. p.

Aiunt communiter Alij, quorum est opinio constantissima, omnium sanè Patrum numerosissimo exercitu pro illa pugnante. Hi sunt micantes de cœlo Stellæ, & pro Paradiso dimicantes iustè Iustinus Philosophus, & Martyr; augustè Augustinus: inclytè Ambrosius, Hieron. Gregorius Magnus, Athanasius, Damascenus, Isydorus & omnes; quos sequitur supremus Ecclesiæ Senator Cardinalis Bellarminus, qui & strenuè defendit Paradisi Cardines. Lubens sequor & ipse, amplector hanc sententiam. Quidni amplectar? Habet arietes fortiores, quibus opposita propugnacula subruantur. Proque:

Statuendum I. Paradisum in Orientali plaga quidem, non tamen in Mesopotamia aut Armenia, sed in loco ab hominum cognitione remotissimo plantatum. Scitè ad Orientem (quod & ex antedictis probauimus) communi Patrum, & Scholasticorum placito; Namque decuit deliciosissimum Hortum Ortum in Oriente nancisci, in quo nobiliora nascuntur. In Oriente primigena lux; In Oriente ex primordiali luce Sol factus; In Oriente cœpit à Motore rotari; Ab Oriente prima radiorum illuminatio visa; Ad Orientem (ex Damasceno) conuertuntur Orantes, vt recordatione amissi Paradisi suspirent. Eò & spectant Christianorum Ecclesiæ, quas Orientem amare solitas docuit Tertullianus. Hinc est, quod de Orientali Paradiso Septuaginta Interpretum consona tuba canit.

D. Damasc. lib. 4. fidei orthod. c. 13. Tertull. lib. cont. Valentinianos nō procul ab initio. Bellarm. to. 3. controuer. gen. l. c. 12.

Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis ad Orientem.

Alteram Conclusionis Partem statuunt de Purpuratorum numero Bellarminus, ac Recentiorum Theologorum Apex Suarius.

Pater

Patet hac ratione: Quoniam quatuor è Paradiso manantia Flumina, vocantur: Phison, Gehon, Tygris & Euphrates; Quorum postrema duo fluunt per Mesopotamiam: caterum non ibi oriuntur, sed in Armenia fontes habent; Quare Armenia potiùs (quod nullus dicat) quàm Mesopotamia congrueret Paradisi nomen. Accedit, quòd duo priora (qua etiam Ganges appellantur & Indus) non Assyriam, Mesopotamiam, Armeniam: sed distantissimas alluunt oras Asia; cur non itaque ibi potiùs, quàm alibi destinatur Paradisi *plantatio? Ergo præstat cum Augustino fateri, ab hominum dignoscentia remotissimo in loco plantatum.* Diu. Aug. de pecc. origin. cōt. Pelagiū lib. 2, c. 23.

Statuendum II. Paradisum ad Asiaticas oras, quas Ganges & Indus alluunt, situm esse: & propter varia impedimenta inaccessibilem. Dua conclusionis partes singulariter discriminentur. Prima sic: Quotquot in Mesopotamia situalem plantationem constituunt, eandem vel maximè ex Tigris & Euphratis per Mesopotamiam decursibus, & ab ipso Mose coniectant. At Moses Flumina è Paradiso *manantia historicè narrans, à duobus Phison, & Gehon tanquam maioribus & dignioribus incipit ordinatè; Igitur & ab illis ex Mose nobis pracipua* Paradisi *coniectatio est desumenda. Phison & Gehon olim; nunc Ganges vocitantur & Indus: ab hoc tota India Regio nomen sumpsit, sicut Ganges à Rege;* D. Isyd. 13. lib. etymolog. c. 21.

Phison enim significat, Cateruam, propterea quod decem magna flumina aquas suas in ipsum exonerant: à Græcis, Latinisq. vocari Gangem, à Gangaro Rege Indorum.

Verba hæc athymologizantis Isydori. Reuertamur, vnde digressi. Paradisus Paradisiacis amnibus indagandus; amnium verò maximi ac primi duo sunt (ex Mose) Ganges & Indus; hi autem bini ad Asiaticas oras decurrunt: perluunt intermediam (qua & maxima Mesopotamia à magnis viris appellatur) Orientalem Indiā. Inuia verò nec pauca mortalibus loca ibi esse feruntur; Ergo & inibi plantatio Paradisi.

At inquies: Ergo & adiri potest (quod obstat alteri parti conclusionis.) Consecutionem hanc pernego: sicut & punctualem Paradisi situationem ad amussim sciri posse, millies nego. In Oriente est. In India est; inter Gangem & Indum est; In monte est; tangi, aut adiri non potest:

Quia Bestia quæ tetigerit Montem, lapidabitur. Locus ille seclusus est à nostra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel maxium, vel alicuius æstuosæ regionis, quæ pertransiri nō possunt; & ideo scriptores locorum de hoc loco mentionem non fecerunt. D. Tho. p. p. q. 102. art. 1. ad tertium.

Hic Empedocles Athnæis velut ignibus sese dedat. Hic Aristoteles ad sui interitum inueniat reciprocationes Euripi. Hic Samaritę Leones, Vrsos pueri, Israelitæ Dracones; Hic Dathan & Abyron horrendos reperiant terræ hiatus. Quis non exhorreat Cherubicũ Numen illud adstans, dominãs, & circumcingens Paradisum? Aut quis in deuoratiouem punitiui, & exitialis gladij obijciat sese? O Gladium verè pertimescendum & versatilem, obuersante nimirum perpetua mortis imagine, præ coruscationibus oculos perstringentibus, præ fulgoribus toto aëre discurrentibus, prę fulminibus horrendo cum fragore effracta nube decumbentibus in terram, præ flammarum velut riuis è cœlo præcipitantibus. O Gladium Homini, ò & Cherubin tremendum Dęmoni. Ecce Magni Præsulis aurea tuba Isydori ad prædicta credenda nos excitat, talia verba canentis.

D.Isyd. hispal orig. lib. 14. c. 3. Cherubin, hoc est Angelorum præsidium arcendis spiritibus malis super Rhompheę flagrantiam ordinatum est, vt Homines flammæ, Angelos verò malos Angeli boni submoueant, ne cui carni, vel Spiritui transgressionis aditus Paradisi pateat.

*Statuendum postremò: Paradisum Orientalibus oris constitutũ adhuc in eo statu, amœnitate, & voluptate seruari, in qua creatus est. Conclusionem hanc sacra Antiquitas statuit: quam & noua secula venerantur; comprobant Recentiorum Doctissimi in hunc modum. Primò, quia fidei Oraculum est Paradisum aliquando fuisse, quem speciatim destructum esse non constat. Nam Moses, qui cuncta de Paradisi plantatione tam accuratè perscripsit: ne meminit quidem (vel vno verbulo) destructionis. Immo & cre-*Genes. c. 3. *dentium auribus insonat, intentionis Dei fuisse seruare in omne tẽpus Paradisum: cùm palam edoceat, Deum ante voluptatis hortũ collocasse Cherubin ad viam Arboris Vitæ custodiendam. Ergo & credibilius, in hæc vsque tempora seruari. Secundò quia punitio sequitur criminosos, sicut vmbra corpus. Principes nonnisi Rebellium aut Coniuratorum Domos subruunt. Diluuium iustè hominibus ac Terris immissum propter hominum Deo rebellium infandas conspirationes. Pœna Diluuij Diluuio peccantium debebatur: ijs dico duntaxat, de quibus eruperant libido, temulentia, luxuria, diuersorum criminum prolapsiones; propter eos, inquam, qui in suarum inundatione cupiditatum, obscænitatum Pelago, & execrandorum scelerum voraginibus demersi detinebantur. Debebatur & Terra peccatis hominum inquinatæ; non verò impollutæ*

inco-

incontaminatę, & sanctæ Paradisi, cuius & Cherubin Custos, & fidelis ac Deo placens Henoch fuerat Sanctissimus Habitator.

Tertiò, Rationis paritate roboratur; nam quemadmodum Arcæ illi Noeticæ (quæ Portatilis Paradisus erat) non potuerunt nocere Diluuia, Angelo deforis claudente, Deoq. Noachum custodiente, cuncta seruante, gubernante Arcam propter Noe. Ita prorsus dicendum videtur Henoch in Paradiso; & hunc propter illū à Cherubim custodiente seruatum. Potuerūt extra Arcam Noe, Henoch extra Paradisum per aëra volitantes ferri ab Angelo: sed horum quilibet intra sua loca Deo sic ordinante contenti. Quarto, (Et est præcedentis comprobatio) ex Henoch, & Helia, qui sub mundi finem dissem inaturi Christi fidem, nunc delicijs perfruuntur Paradisi, in quem trāslati sunt. De Helia testatiss. n.e ex traditione creditur. Cuncti pariter Ecclesiasticorum fatentur de Sācti ss. mo Henoch, qui sexcentis sexaginta nouem annis ante Diluuium, raptus est in Paradisum. Salomon est, qui infuso lumine, huiusmodi raptū & Paradisi loca nouit, prædicauit cognita (Ecclesiastici c.44) dicēs:

Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum vt det gentibus pœnitentiam. Ecclesiast. c. 44. nu 1. 8

Huc nostrę ratiocinationis nerui contendantur, vt è multis quibus Henoch potuit seruari modis, congruentiorem ostendamus.

Quidam somniant Paradiso deleto, per totum Diluuij tempus Henoch incolumem in terra penetralibus seruatum. O acutè excogitatum! Ergonè tenebricoso Carceri tanto tempore addictus? Quis aranearum telas cauernæ prætexuit, quibus non iam à Saul hoste Dauid, sed Henoch à persequenti Diluuio tutaretur?

Alij non corde Terræ sed Maris, aut in vtero Ceti cōclusum putant. Fateor cum Chrysostomo:

Quòd Ionæ Cetus triduo subiugalis fuit, & quò intus gubernans, nō quò ipse volebat, ducens. D. Io. Chrys. sost. in psal. 9.

Ambrosius illud, & ait:

Emendauit Aqua, quem terrena deflexerant. D. Ambros. hexęmer li. 5 cap. 11.

Henoch autem Deo obediens ac placens, non debuit tam malè olentiū emendatione viscerū sine culpa rependi: nec arcæ Bestius collocari inferior. Hocce cōmentum nunquā generosos animos ad assēsum pelliciat; quin potius tanquā nauseabundū, generet euersionem ac stomachum. Nonnulli imaginantur Henoch ab Angelo elatū euolasse per aëra (vt de Abacuch fertur) aërei tramitis iter carpentem, postea redditum terris. Detur hoc illis: Vbi autem obsonia, Daniel. c. 14.

nia, vbi prandia? Dentur & Henoch ista; ne centum quinquaginta dierum spatio præmatur inedia Sanctus Homo.

D. Io. Damasc. de Dormitione Deip. Sur. tom. 4. mense Iulio le 5. Goari.

Potuit in sinu Abrahæ aut Lymbo Patrum. Potuit in intimis terræ, aut in abysso. Potuit aquarum profunda sicco perambulare vestigio, ac fluctus summos. Potuit Apostolorum instar (in Dormitione Deiparæ) aduolare; vel Ignea deportari Curru vt Helias: vel radio solis cuculla suspendi, vt Goar; vel Igne sub Luna seruari, vt in fornace tres Pueri, Moses in Rubo. Potuit & in Sole poni tabernaculum eius, super Aquas Firmamenti librari, ad Empyreum extolli quousque daret gentibus pœnitentiam. Sed qui nondum obierat, qui & nunc viuit, Virgo in Virginea terra, in loco Sancto Sanctus, Horto voluptatis perfruitur Diuinæ obediēs voluntati: & Deo placens pro Dei placito positus in Paradiso seruatur.

Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum, vt de Gentibus pœnitentiam.

Quicquid Pererius ex aduerso nobis occinat iam manifestum est, Nequaquam periisse Aquis Paradisum. Eius obiectionibus retrogradando Respondeo.

Postremæ occurro, suam illam indagationem repellendo ex Tigri & Euphrate, quoniam præpostera est & fallax, neque Mosaicæ narrationi respōdens. Miror virum oculatissimum haud peruidisse hoc totum, quod & manifestum fecimus in nostra 2. Conclusione.

Media sic refellitur: Poterat & Henoch in arca seruari, quemadmodum Noë in Paradiso. Deus noluit. Nec tamen frustra Noë arcam fabre fecit, in qua debuit (Deo sic mandante) saluari.

Bellarm. to. 3. controuersiarum. Genes. c. 7. d. 21.

Primam repellimus hoc pacto: Locutionē, Propositionemque Mosis, indefinitam esse, non vniuersalem; proinde solùm de Montibus intelligendam eius terræ, quæ habitationi Hominum post lapsum Adæ fuerat destinata. Quemadmodum & generaliter à Mose dictum:

Consumptaq; est omnis caro, quæ mouebatur super terram, Vniuersi Homines, &c.

Et nihilominus excipienda veniunt Animantia & Homines in Arca: Henoch in Paradiso; Paradisus in terris. Quinimò si Diluuium è Terra & Aëre, non autem (vt Pererius contendit) è Cœlo sydereo factum est: Vera mihi videtur Caietani Responsio hisce verbis allata:

Caiet. in verba Moses ex Genesi c. 7. nu. 19.

Apparet quod Moses non loquitur de omnibus montibus excelsis simpliciter & absolutè, sed de illis tantùm, qui sunt sub cœlo, hoc est sub

regione aeris, in qua generatur Pluuiæ. Quò fit vt non aduersetur Sacræ Scripturæ exceptio cacuminum montium super eminentium vniuerso cælo in quo generantur Pluuiæ, & alia huiusmodi. Attestatur quoque huic sensui communis exceptio Montis, in quo est Paradisus terrestris, vbi Henoch erat tempore Diluuij adhuc ibidem viuens. Nec propterea saluati sunt Homines aliqui in cacuminibus omnium montium, quoniam vt Dominus dixit in Euangelio: Homines illius temporis non credebant Diluuium futurum: & ingruentibus repentè tam ingentibus aquis subter, & supra, ruentibusq; ex montibus immensis aquis in præceps, impediebatur accessus ad tantã illorum montiũ celsitudinẽ.

Matth. 14. Lucæ 17.

Hæc Caietanus, vt sui moris est, acutissimè profert.

Excipiatur igitur Paradisus, ad cuius limites aquæ peruenietes ĩ morẽ fornicis, et quasi camerati operis coaluerũt, cõseruãdi causa.

Excipiatur Paradisus, qui vt natatilis aut vectabilis insula, praeminere Aquis potuit, tutè fluitans.

Excipiatur Paradisus ex Ambrosio:

Quia nulla ibi ex Diluuijs pluuiarum offensa, non terrarum ariditatibus, aut grandinis iactu, aut quacumque ex causa soli vberis sterilitate locus ille mulctatur.

D. Amb. hexemer. lib. 3 cap. 18.

Epistolam in medio Imbre sine Imbre D. Bernardus scripsit; & cum vndiq. plueret, chartam expositam virtus operuit charitatis, (Quod nimirum Elementa deseruiant Dei seruis.) Quid mirum si in vnius Sãcti Henoch gratiã, erumpentes cælo Imbres à felici Paradisi planta repellantur? Totum id Monopolita [illegible], aiens;

Miraculum D. Bernardi.

Temperies Paradisi, & puritas aëris superposita illi Regioni defenditur ministerio Angelorum à nubibus, ventis, & pluuijs, & ab omni perturbatione in perpetuum: quia propter peccatum Hominis nihil indispositionis passa est, nec in eius Aere vsque ad Cælum, nec in substantia terræ vsque ad centrum; sed adhuc perseuerat in illa optima dispositione, quam habuit ante peccatum, & habuisset in statu Innocentiæ, in memoriam Originalis integritatis.

Monopolita Dec. 1. c. 3. q. 7. quæstiuncula p. ex sent. D. Tho. in sũma p. p. qu. 103. & alijs.

Omitto breuitatis gratia, quæ prosequitur.

Et si video, infirmum hoc defensionis genus à Patre Viegas censeri, qui ad extraordinariam Dei potentiam, ac miracula minimè credibilia prouocari nolit. Respondeat itaq; Num miraculosa fuerit Arcæ natantis Gubernatio? Certè negare non poterit, quod cum D. Augustino Chrysostomus affirmat in hunc modum:

Vigas in Apocalypsim ca. 11. comment. 5. § 5.

An non Arcam hinc, & illinc moueri, & non submergi a tanta aquarum vi, cùm nullus esset Gubernator, supernæ erat Gratiæ? Non enim dicere potes, quòd fuerit ad modum Nauis, vt arte quadam illius iter dirigi potuerit. Arca erat vndequaque clausa, & munita, & propter Præceptum Conditoris non solùm eam lędere non potuit aquarum impetus, sed sublimior illis facta, inhabitantes admodum securos fecerit.

D. Aug. lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 27. D. Io. Chrysost. homil. 21. in Genesim.

Scotus in 2. sententiarũ dist.17.q.2.

Quid adhæc Pater Viegas? fateatur ergo cũ subtilium Principe, quòd sicut Diluuium Generale miraculosè contigit: Ita miraculo factum, vt Paradisus à Diluuij seruaretur exitio.

Præstat deniq. cum Vniuersali Patrum Consensione fateri, Paradisum etiamnum in terris existere, propter Sanctissimos Heroes Henoch, & Eliam in eo permanentes, extremaq. mundi tempora præstolantes, vt tandem dent Gentibus pœnitentiam; Interea temporis quiete summa, & contemplationis sublimitate fruuntur. An autem Intuitiua, & faciali Visione dignentur? longiori sanè & altiori indagine indiget; Nosq; Diuini Luminis interuentu, peculiari disputatione postea demonstraturi: Nunc ponamus ob oculos, quanta sit Felicitas Eliæ Carmelitarũ Principis, & Henoch in Paradiso viuentium. Eandem verò Rationis paritate quadam, cum D. Augustino coniectantes, ita delineemus:


D. August. de Ciuitat. Dei cap.26.

Viuebat Homo in Paradiso sicut volebat, quãdiu volebat, quod Deus iusserat. Viuebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: Viuebat sine vlla egestate, ita semper viuere habens in potestate. Cibus aderat, ne esuriret: potus, ne sitiret: lignum vitæ, ne illum senecta dissolueret: Nihil corruptionis in corpore, vel ex Corpore illas molestias vllis eius sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in Carne sanitas, in anima tota trãquillitas. Sicut in Paradiso nullus æstus, aut frigus, sic in eius Habitatore nulla ex cupiditate vel timore accedebat bonæ voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat, inaniter lætum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo in quem flagrabat Charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide nõ ficta. Non lassitudo fatigabat ociosũ, nõ somnus præmebat inuitum.

Hæc Augustiniana verba, quæ & Henoch & Heliæ felicitati repræsentandæ accommodari non incommodè possunt.

Clausimus Augustini sermone nostrã de Paradiso Tractationẽ; Quantulacumq. sit, ad sacrarium Reuerendissimæ Paternitatis Vestræ sistitur; Parenti Optimo Obseruantiæ monumentum dedicatur æternum. Obsecro Deum interim, & repetens iterum, iterumq. rogabo, vt Magno Parenti GREGORIO GENERALISSIMO PRÆSVLI CANALIO: Scientissimo P. Magistro IO. STEPHANO BARBERIO PROCVRATORI GENERALI; Totique PATRVM CORONAE DOCTISSIMORVM in Comitijs Generalibus, Paradisiacæ Beatitatis Dona, ac Bona largiatur.

FINIS.


ALLEGRI
LABORAT.
RESTAURO
LIBRI
PARMA